

ro, ac difficulter remittitur: non enim solvitur crystallus, nisi vehementi spiritus inpetu. Alii vero tradunt, non quamlibet obstinationem, vel desperationem appellari peccatum in Spiritum Sanctum, sed illam tantum quam committatur impenitentia; (2) qui etiam impenitentiam dicunt peccatum in Spiritum Sanctum. (3) Sed quia Augustinus (a) dicit impenitentiam esse peccatum in Spiritum Sanctum, cum sic est aliquis obstinatus, ut non poeniteat; discuti oportet an aliquid obstinatio, aliud impenitentia sit in eo peccatum; an idem, sed diversis modis commissum. Secundum istos peccatum illud dicitur irremissibile, eo quod nunquam dimittatur. Unde Augustinus etiam dicit, (b) quod hoc solum peccatum veniam mereri non potest, & Hieronymus (4) super Matth. (c) ait, quod taliter peccans non potest digne poenitere: (5) & ideo recte Joannes dicit: (6) „Ut non pro eo oret quis:“ quia qui sic peccat, orationibus Ecclesiae hic, vel in futuro juvari non potest, habens cor induratum tanquam lapis, sicut de diabolo legitur: & post hanc vitam, qui valde mali sunt, meritis Ecclesiae juvari non possunt.

Quod aliter accipitur peccatum in Spiritum Sanctum.

EST etiam alia hujus peccati assignatio: hoc enim peccatum Augustinus diffiniens in Lib. I. de sermone Domini in monte, c. xxiii. ait: „Peccatum ad mortem est, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, & adversus ipsam gratiam, qua Deo reconciliatus est, invidentia facibus agitur: quod fortasse est in Spiritum Sanctum peccare; quod peccatum dicitur non remitti, non quia non sit ignoscendum peccati, si poeniteat; sed quia tanta labes est illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia agnoscere, & enuntiare cogatur: ut Judas cum dixit, Peccavi, desperans facilius cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam peteret: quod propter magnitudinem peccati jam ex damnatione peccati tales habere credendum est.“ Ecce quaedam assignatio peccati in Spiritum Sanctum, vel ad mortem, hic posita est, qua illud peccatum esse traditur oppugnatione fraternitatis post agnitionem, & invidentia gratiae post reconciliationem: quod species quaedam obstinationis intelligi potest. Illam tamen diffinitionem Augustinus in Lib. I. Retract. cap. xix. commemorans, aliquid adjiciendum ibi fore, nec asserendo se dixisse aperit, ita dicens: „Quod quidem non confirmari, quoniam hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit: Si in hac scelera mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo, in hac vita constituto, non est desperandum; nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur.“ His verbis insinuat, peccatum praemissa diffinitione descriptum, tunc solum debere dici ad mortem, vel in Spiritum Sanctum, cum non habet comitem poenitentiam; nec de aliquo peccatore in hac vita desperandum esse: & ideo pro omni esse orandum. Unde illud Joannis, I. cap. vi. 16. „Non pro eo dico ut quis oret:“ sic accipiendum videtur, ut pro aliquo peccante ad mortem, vel in Spiritum Sanctum, postquam finierit hanc vitam, non oremus; dum autem in hac vita est, nec peccatum illius judicare, nec de illo desperare, sed pro illo orare debemus. Unde Augustinus (7) de verbis Domini, serm. xi. cap. xiiii. de impenitentia quae est blasphemia in Spiritum Sanctum, sic ait: „Ista impenitentia, vel cor impenitens, quamdiu quisque in carne haerit, non potest judicari; de nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ipsum ad poenitentiam adducit. Paganus est hodie, Judaeus, infidelis est hodie, haereticus est hodie, schismaticus est hodie. Quid si istos, quos in quocumque genere erroris notas, & tamquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant poenitentiam, & inveniant veniam requiem, & vitam in futuro? Nolite ergo ante tempus judicare, quemquam.“ Ex his ostenditur, pro singulis peccatoribus in hac vita esse orandum, nec de aliquo esse diffidendum: quia converti potest dum in hac vita est: quia non potest sciri de aliquo utrum peccaverit ad mortem, vel in Spiritum Sanctum, nisi cum ab hac vita discesserit; nisi forte alicui per Spiritum Sanctum mirabiliter revelatum fuerit. Ex praedictis aliquatenus capi potest, quomodo accipiatur peccatum in Spiritum Sanctum, scilicet invidentia gratiae fraternitatem impenitenter oppugnans; quae utique obstinatio esse videtur, & omnis impenitentis obstinatio, atque desperatio. Notandum vero est, quod non omnis qui non poenitet, impenitens dici potest, quia impenitentia proprie obsinatus est, & ut quidam volunt, etiam desperavi.

Alia assignatio peccati in Spiritum Sanctum.

DE hoc quoque peccato in Spiritum Sanctum Ambrosius de Spiritu Sancto, Lib. I. cap. iiii. vers. fin. disserens, assignationem diffinitam tradit, dicens: „Cur Dominus dixerit, Luc. xiii. 10. Qui blasphemaverit in Filium hominis, remittetur ei; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, nec hic, nec in futuro remittetur ei: diligenter advertite. Numquid alia est (9) offensio Filii, alia Spiritus Sancti? Sicut una dignitas, sic una injuria. Sed si quis corporis specie deceptus humani, (10) remissius aliquid sentit

(2) Nicolai omittit qui etiam impenitentiam. (3) Al. quia Augustinus dicit: Impenitentia est peccatum in Spiritum Sanctum. Sed cum sic obstinatus est aliquis ut non poeniteat, &c. (4) Al. super Marcum. (5) Addit Nicolajus. Sic enim ait: „Avaritia magnitudine Judas impietatis pondus exclusit.“ Et paulo post: „Nihil profuit ei vera poenitentia, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater ita peccat in fratrem ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti. Sin autem permanent opera, frustra voce assumitur poenitentia. Hoc est quod in Psalm. cv. 11. de eodem infelicissimo Juda dicitur: Et oratio ejus fiat in peccatum; ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam pro prii homicidii crimen addiderit.“ Et ideo, &c. (6) Vulgata: Non pro illo dico ut roget quis. (7) Al. de verb. Domini, & de impenitentia. (8) Al. pacem. (9) Ambrosii textus offensio. (10) Forte de missus.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) In Enchir. cap. lxxxiii. & de verbis Domini serm. xi. (b) Ubi supra, & Lib. I. de serm. Domini in monte (c) Cap. xxviii. occasione Judae falso poenitentis.

de Christi carne quam dignum est, habet culpam; non est tamen exclusus a venia: si quis vero Sancti Spiritus dignitatem, & majestatem, & potestatem abneget sempiternam, & putet, non in Spiritu Dei ejici daemonia, sed in Beelzebub; non potest ibi (11) exhortatio esse veniae, ubi sacrilegii plenitudo est. Satis aperte hic explicatur quid sit peccatum in Spiritum Sanctum, quod illi Augustini descriptioni congruenter videtur, qua illud peccatum dicitur esse invidentia gratiae oppugnans fraternitatem. Qui enim post cognitionem veritatis, Spiritus Sancti (12) veritatem negat ejusque opera dicit esse Beelzebub; potestati, bonitati, & gratiae Dei invidere non dubitatur. Non itaque distinctio illa verborum sic accipienda est, quasi trium personarum divisae sint offensae; sed ibi genera peccatorum distincta sunt. Peccatum enim in Patrem id intelligitur quod fit per infirmitatem, quia Patri Scriptura frequenter attribuit potentiam: peccatum in Filium quod fit per ignorantiam, quia sapientia Filio attribuitur: tertium expositum est. Qui ergo peccat per infirmitatem, vel per ignorantiam, facile veniam adipiscitur; sed non ille qui peccat in Spiritum Sanctum. Cum autem una sit potentia, sapientia, bonitas trium; quare Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas saepius assignetur, dictum est superius.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam diversa genera peccatorum assignavit, in parte ista determinat de quodam genere peccati quod caeteris aliis gravius invenitur, scilicet de peccato in Spiritum Sanctum: & dividitur in partes duas. In prima ostendit gravitatem hujus peccati; in secunda inquit quid sit istud peccatum, ibi: *Sed queritur, quid sit illud peccatum in Spiritum Sanctum.* Et dividitur in partes tres, secundum tres assignationes hujus peccati quas facit. (1) Secunda ibi: *Est & alia hujus peccati assignatio.* Tertia ibi: *De hoc quoque peccato in Spiritum Sanctum Ambrosius, & definitam assignationem tradit.* Prima dividitur in duas. In prima ponit assignationem quamdam peccati in Spiritum Sanctum, magistralem; in secunda movet quamdam quaestionem, & solvit, ibi: *Sed queritur, utrum omnis obstinatio mentis in malitia obdurata, omnisque desperatio sit peccatum in Spiritum Sanctum.*

Est & alia (2) hujus peccati assignatio. Hic ponit secundam assignationem, ex verbis Augustini sumptam: & primo ponit eam; secundo ex verbis ejusdem ostendit, quomodo sit accipienda, ibi: *Illam (3) tamen diffinitionem Augustinus in Lib. Retract. commemorans, aliquid adjiciendum ibi fore, nec asserendo se dixisse asserit.*

De hoc quoque peccato Ambrosius in Lib. de Spiritu Sancto disserens definitam assignationem tradit. Hic ponit tertiam assignationem secundum Ambrosium: & primo ponit eam; secundo removet quoddam dubium quod potest esse, ibi: *Non itaque distinctio illa verborum sic accipienda est.*

QUESTIO I.

HIC sex quaeruntur. Primo. An sit peccatum in Spiritum Sanctum, & quid sit.

Secundo. Utrum sit distinctum ab aliis peccatis.

Tertio. De speciebus ejus.

Quarto. De irremissibilitate ipsius.

Quinto. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum praexigat alia peccata.

Sexto. Quibus conveniat in Spiritum Sanctum peccare.

Præ-

(11) Ambrosii textus exoratio. (12) Al. virtutem. (1) Addit Nicolai: Prima incipit, ibi: *Quidam dicunt omnem obstinationem, & omnem desperationem esse peccatum in Spiritum Sanctum &c.* (2) Al. hujusmodi. (3) Al. Illam tamen diffinitionem secundum Ambrosium; & primo ponit eam &c. intermediis omissis.

(4) Al. dum ait: sed Peccatum autem &c. (5) Vulgata loc. cit. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum;

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Quod hic ex August. subjungitur, non expresse in illo reperitur: sed ex Lib. II. de lib. arb. c. ix. colligi potest. (b) Ex Lib. I. Retract. c. ix. (c) Usurpatum ex Athanasio in Symbolo.

ARTICULUS I.

Utrum sit aliquod peccatum in Spiritum Sanctum.

1. 2. q. xiv. art. 1. 3. & 4. & de malo q. 111. a. 14. & Math. cap. xii.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod nullum sit peccatum in Spiritum Sanctum. Quia, secundum quod in littera dicitur, illi dicuntur in Spiritum Sanctum peccare quibus placet malitia propter se, sicut piis bonitas. Sed malitia nulli propter se placet: quia malum est praeter voluntatem, & nullus ad malum intendens, operatur, ut Dionysius dicit, de div. Nom. cap. iv. Ergo secundum hoc nullus in Spiritum Sanctum peccat.

2. Praeterea. Omne peccatum hominis ex corruptione naturae nascitur. Sed peccatum quod est ex corruptione naturae, est ex infirmitate. Cum autem peccatur per infirmitatem, non peccatur in Spiritum Sanctum, ut in littera dicitur. Ergo nullum peccatum est in Spiritum Sanctum.

3. Praeterea. Augustinus (a), in Enchir. dicit, quod omne peccatum ex errore est. Sed error ignorantiam includit. Quod autem per ignorantiam est, dividitur contra peccatum in Spiritum Sanctum. Ergo nullum peccatum est in Spiritum Sanctum.

4. Praeterea. Si aliquis peccat in Spiritum Sanctum, aut est in statu viae, aut post viam. Sed post viam esse non potest: quia tunc non erit tempus merendi, & demerendi, ut plures dicunt; sed recipiendi pro his quae gessit, sive bonum, sive malum. Similiter nec in statu viae: quia de nemine desperandum est, secundum Augustinum, (b) de serm. Domini in monte cap. xi. (4) dum vivit. Peccatum autem in Spiritum Sanctum est peccatum desperantium, quia pro eo oratio interdicitur I. Joann. ult. Ergo nullus in Spiritum Sanctum peccat.

5. Praeterea. Quorum una est majestas, & gloria, una est offensio. Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna majestas. (c) Ergo & eorum est una offensio: & ita cum peccatum in Spiritum Sanctum dividatur contra peccatum in Patrem, & Filium, videtur quod nullum peccatum sit in Spiritum Sanctum.

Sed contra est quod dicitur Matth. xii. 32. (5) Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei in aeternum.

Præ-

Præterea. Sicut potentia attribuitur Patri, Sapientia Filio, ita bonitas Spiritui Sancto. Sed peccatum quod fit ex impotentia, dicitur peccatum in Patrem; quod fit ex ignorantia, in Filium. Ergo quod fit ex malitia, in Spiritum Sanctum. Cum ergo aliquod tale peccatum sit, erit aliquod peccatum in Spiritum Sanctum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccare in Spiritum Sanctum dicitur dupliciter: aut quia peccatur contra personam Spiritus Sancti; aut quia peccatur contra attributum personæ. Peccatur contra personam Spiritus Sancti, scilicet quando de ea male sentitur; sicut qui dixerunt, Spiritum Sanctum creaturam esse, & ministrum Patris, & Filii, & sic etiam peccare in Filium, est non sentire de persona Filii. Sic autem non loquimur hic de peccato in Spiritum Sanctum, quia sic est peccatum infidelitatis. Peccare autem in attributum Spiritui Sancto, est ex certa malitia peccare; sicut peccare in Patrem, est peccare ex infirmitate, & peccare in Filium, est peccare ex ignorantia; ut dicatur peccatum in Patrem, quando deficit istud quod Patri attribuitur, scilicet potentia; & peccatum in Filium quando deest sapientia, quæ Filio attribuitur; & peccatum in Spiritum Sanctum, quando ponitur oppositum bonitatis, quæ Spiritui Sancto attribuitur. Differentia autem horum accipi potest ex his quæ Philosophus in V. Eth. cap. 111. dicit, ubi ostendit quod peccatum tribus modis committitur: vel ex ignorantia, vel ex passione, vel ex electione. Ex ignorantia peccatum committitur, quando ignoratur aliquod eorum quorum scientia à peccato impeditur: unde ignorantia est ibi causa peccati; & hoc dicitur peccatum in Filium. Ex passione autem sive innata, sive illata peccatur, quando propter impetum passionis, rationis iudicium obruitur; & hoc proprie est ex infirmitate peccare, quod est peccatum in Patrem. Ex electione autem peccatur, quando homo deliberans peccato adhæret, non quasi aliqua tentatione victus; sed quia propter hoc quod habet corruptum appetitum, placet sibi illud peccatum secundum se; & hoc est ex malitia peccare, quod est peccare in Spiritum Sanctum.

Ad primum ergo dicendum, quod malitiam sub ratione malitiæ nullus unquam voluit; sed secundum quod peccatum æstimatur bonum ipsi peccanti, quasi quietans corruptum appetitum, propter hoc secundum se desideratur.

Ad secundum dicendum, quod res non habet speciem, neque denominatur à causis primis; sed à causis proximis. Corruptio ergo naturæ, quæ est infectio formis, non est proxima causa cuiuslibet peccati, cum aliquando homo sine aliquo incentivo concupiscentiæ peccatum eligit; sed (6) est causa prima: quia ex corruptione naturæ inest homini quædam debilitas, ut facilius in peccatum ruat: & ideo non oportet quod omne peccatum propter hoc ex infirmitate esse dicatur.

Ad tertium dicendum, quod error ille ex quo omne peccatum procedit, est error electionis, secundum quem Philosophus, ubi supra, omnem malum ignorantem esse dicit. Hæc autem ignorantia non causat involuntarium, immo est ex voluntate causata: quia ex ipsa inclinatione corruptæ voluntatis in peccatum, quæ est per habitum, vel passionem, consequi-

tur, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro; at Marc. 111. 29. (quem locum altero neglecto citat hic Nicolaus) Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum. Vide expositionem textus. (6) Al. ex causa prima.

ut hoc quasi bonum aliquis eligit quod voluntati placet: unde ex tali ignorantia non dicimus peccatum in Filium: peccatum enim in Filium est, quando principalis causa peccati est ignorantia.

Ad quartum dicendum, quod peccatum in Spiritum Sanctum non est desperatum ex parte medici curantis, scilicet Dei, qui immensitate suæ misericordiæ quemlibet in statu viæ salvare potest; sed est desperatum ex parte ipsius morbi, qui quantum in se est, omnem viam curationis excludit, ut infra patebit.

Ad quintum dicendum, quod quamvis sit una majestas trium personarum, tamen personæ distinguuntur proprietatibus personalibus, & etiam quædam appropriantur uni quæ non appropriantur alii personæ: & secundum hoc contingit quod aliquod peccatum dicitur esse specialiter in Filium; vel in Spiritum Sanctum dupliciter: vel quia male sentitur de his quæ sunt propria Filii, vel Spiritus Sancti; & sic non accipitur hic peccatum in Spiritum Sanctum: vel quia peccatur contra appropriatum Filii, vel Spiritus Sancti; & sic hic sumitur peccatum in Spiritum Sanctum.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit determinatum genus peccati.

1. 2. q. XIV. art. 1. 3. & 4. de malo q. III. a. 14.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod peccatum in Spiritum Sanctum non sit determinatum genus peccati. Sicut enim peccatum quod ex industria geritur, est peccatum in Spiritum Sanctum; ita peccatum quod est ex infirmitate, est in Patrem, & quod ex ignorantia, est in Filium. Sed peccatum ex infirmitate non nominat determinate aliquod genus peccati, sed peccati circumstantiam. Ergo nec peccatum in Spiritum Sanctum est determinatum genus peccati.

2. Præterea. Peccare ex industria, vel certa malitia, est peccare ex electione, ut dictum est. Sed unusquisque habens habitum vitiosum, ex electione peccat, ut ex VII. Eth. cap. VIII. patet, ubi distinguit intemperatum contra incontinentem: quorum primus habens habitum per electionem peccat, secundus per passionem. Ergo peccare ex habitu est peccare ex certa malitia, quod est peccatum in Spiritum Sanctum. Sed peccatum ex habitu procedens non nominat determinatum genus peccati. Ergo nec peccatum in Spiritum Sanctum.

3. Præterea. In littera assignantur diversæ species peccati in Spiritum Sanctum, ut desperatio, obstinatio, & multa huiusmodi. Sed ista se habent ad omne genus peccati: quia nullum genus peccati est quod interdum ex desperatione oriri non possit, & sic de aliis. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum non est determinatum genus peccati.

4. Præterea. Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur quod est contra appropriatum Spiritui Sancto. Sed omne peccatum mortale contrariatur gratiæ, quæ adpropriatur Spiritui Sancto. Ergo omne peccatum mortale debet dici in Spiritum Sanctum.

5. Præterea. Mors animæ est, ut Augustinus dicit, in Joan. cap. x. tract. XLVII. & XIII. de Civ. Dei cap. 11. separatio animæ à Deo. Sed quodlibet peccatum mortale separat animam à Deo. Ergo quod-

libet mortale est ducens ad mortem. Sed peccatum ad mortem est peccatum in Spiritum Sanctum, ut Magister dicit. Ergo quodlibet mortale est peccatum in Spiritum Sanctum.

Sed contra. Quodlibet genus peccati distinguitur ab aliis generibus. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est quoddam genus peccati gravius cæteris, ut Magister dicit. Ergo est determinatum, & distinctum ab aliis.

Præterea. Peccatum in Spiritum Sanctum cum sit irremissibile, distinguitur ab aliis quæ remissibilia sunt, secundum remissibile, & irremissibile. Sed istæ differentiæ sunt maxime distantes. Ergo multo magis distincta genera peccatorum facient quam aliqua aliæ peccatorum differentia.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, ut supra dictum est (in corp. art. præc.) peccatum in Spiritum Sanctum dicitur quod est ex certa malitia, vel industria, sive electione, quod idem est. Quod autem aliquis ex certa deliberatione actum peccati eligit, non impulsus aliqua passione, potest contingere dupliciter. Aut per positionem alicujus in eligente, per quod inclinatur in talem actum, sicut in sibi similem: sic enim omnis habens habitum vel peccati, vel virtutis inclinatur in actus similes suis habitibus, quia naturalis appetitus rei est in id quod sibi simile est: & hoc modo quicumque habet habitum intemperantiæ, eligit actum intemperantiæ, & sic de aliis peccatis. Alio autem modo ex certa deliberatione peccatum eligitur, quando voluntas rejicit illud per quod homo à peccato retrahi possit: verbi gratia, aliquis propter expectationem futuri præmii abjicit voluntarie, vel aliquid huiusmodi, quod à peccato retrahebat; eligit hoc quod sibi erit delectabile secundum carnem, quasi per se bonum, & ita ex certa malitia peccabit. Sumendo ergo primo modo peccatum ex electione, non nominatur aliquod genus peccati determinatum, sed quædam peccati circumstantia, ut scilicet actus ex habitu procedat, quod in omnibus generibus peccatorum contingit. (1) Sed secundo modo speciale peccatum dicitur, quod ex electione contingit. Quia speciale peccatum dicitur ex speciali objecto; hoc autem est speciale objectum voluntatis, in quo peccatur, scilicet hoc quod à peccato natum erat retrahere, cui voluntas dissensit, ab eo sponte recedens. Peccatum autem in Spiritum Sanctum non proprie dicitur illud quod ex electione procedit primo modo; sed quod secundo modo ex electione procedit: quia peccata & specificantur, & nominantur ab objectis; objectum autem in hoc peccato est hoc quod à peccato retrahebat, & istud est bonitas quædam, vel aliquis effectus Spiritui Sancto appropriabilis: & ideo peccatum in Spiritum Sanctum determinatum genus peccati nominatur.

Ad primum ergo dicendum, quod cum aliquis hoc secundo modo ex electione peccat, quod proprie peccatum in Spiritum Sanctum dicitur, considerantur ibi duo actus, quorum uterque peccatum est, & primus est causa secundi. Verbi gratia, aliquis uno actu voluntatis præmia æterna contemnit, eorum spem à se abiciens; & in hoc ipso peccat: & quia desperat de præmio, incidit in actum fornicationis; & hic actus in eo ex certa electione provenit propter præcedentem actum. Unde patet quod

In II. Sent. Tom. II. q. 11. a. 1. (1) Al. Sed in modo.

cum dicitur peccatum ex industria, ipsa industria quæ notatur esse causa peccati est quoddam peccatum, & est determinatum peccati genus: & hoc proprie est peccatum in Spiritum Sanctum. Sed infirmitas, vel ignorantia, non nominat peccatum aliquod; sed poenam tantum: & ideo ex ea non designatur speciale peccatum.

Ad secundum patet responsio per ea quæ dicta sunt, in corp. art.

Ad tertium dicendum, quod peccatum in Spiritum Sanctum non dicitur ille actus secundus; qui ex primo, ut dictum est, causatur, nisi forte secundum quod virtus primi actus manet in eo; sed ipse primus actus est proprie peccatum in Spiritum Sanctum: & ideo non est inconveniens ut ex uno determinato peccato omnia peccata possint oriri, ut supra dictum est.

Ad quartum dicendum, quod contrariari gratiæ contingit dupliciter. Primo directe per se; & hoc fit dum aliquis gratiam actualiter despicit, vel aliquid ad gratiam pertinens; & sic opponitur gratiæ peccatum in Spiritum Sanctum. Secundo indirecte, & quasi ex consequenti; & sic omne peccatum mortale gratiæ opponitur: quia per peccatum mortale quæritur aliquid quod simul cum gratia esse non potest.

Ad quintum dicendum, quod peccatum mortale quantum ad aliquid est simile morti, & quantum ad aliquid ægritudini: in quantum enim separatur à Deo, qui vita est, mortis similitudinem habet; & hæc est mors prima; in quantum autem adhuc manet possibilitas redeundi ad vitam, habet similitudinem ægritudinis, ducens ad mortem condemnationis, quæ est mors secunda, quæ omnino similitudinem mortis retinet, dum per eam homo à Deo separatur, & ad vitam gratiæ possibilis reditus non est. Sicut autem in ægritudinibus corporalibus quædam sunt curabiles, quædam autem non, quantum est de natura morbi, & hæc dicuntur infirmitates ad mortem; ita etiam in peccatis illa tantum peccatorum mortalia ad mortem ducuntur quæ quantum in se est, irremissibilia sunt. Dicitur ergo peccatum esse mortale à morte prima, sed ad mortem propter mortem secundam.

ARTICULUS III.

Utrum species peccati in Spiritum Sanctum convenienter assignentur in littera.

Respondeo dicendum, quod species peccati in Spiritum Sanctum convenienter assignentur in littera. (1) Quæst. XXXVII. art. 5. ad 3. et III. P. quæst. XXXVII. art. 4. et XXXVIII. art. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in littera convenienter assignentur in littera species peccati in Spiritum Sanctum. Nullus enim desperare potest, credens remissionem peccatorum in Ecclesia fieri. Sed negare remissionem peccatorum est infidelitatis. Ergo desperatio est species infidelitatis, & non peccati in Spiritum Sanctum.

Præterea. Illud quod est infinitum, nullus potest nimis extendere. Sed misericordia Dei infinita est. Ergo nullus peccat ex hoc quod Dei misericordiam nimis extendat; & ita videtur quod nimis presumere de Dei misericordia, non sit peccatum in Spiritum Sanctum, vel species ejus.

Præterea. Accidentia non constituunt speciem. Sed impotentia est quoddam accidens peccati, si-

in II. Sent. Tom. II. q. 11. a. 1. (1) Al. Sed in modo.

cut duratio cuiuslibet rei est: accidens eius, quod solum impenitentia dicere videtur, (1) ut scilicet in peccatum usque ad mortem duret. Ergo impenitentia non est aliqua species peccati.

4. Præterea. Præteritum, & futurum non diversificant speciem. Sed impenitentia, & obstinatio non differunt, nisi secundum præteritum, & futurum: quia impenitentia est ex hoc quod de præteritis commissis homo non pœnitet; obstinatio autem est in hoc quod futuris committendis firmiter proposito inhaeret. Ergo impenitentia, & obstinatio non sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum.

5. Præterea. Veritas appropriatur Filio, qui dicit Joan. xiv. 6. Ego sum via, veritas, & vita. Sed peccatum in Filium est, quod est contra appropriatum Filii. Ergo impugnatio veritatis non est peccatum in Spiritum Sanctum, sed in Filium.

6. Præterea. Invidia est usum capitale vitiorum, ut supra dictum est, dist. xlii. art. 3. & non est gravius inter ea. Sed alia peccata capitalia non ponuntur species peccati in Spiritum Sanctum. Ergo nec invidia fraternæ gratiæ debet peccatum in Spiritum Sanctum dici.

7. Præterea. Oppositorum generum diversa sunt species. Sed peccatum in Spiritum Sanctum, quod est ex certa malitia, ex opposito dividitur contra peccatum in Patrem, vel Filium, quod est ex infirmitate, vel ex ignorantia. Cum igitur quodlibet peccatum prædictorum, ut desperatio, præsumptio, & huiusmodi, possit ex infirmitate, vel ex ignorantia accidere; videtur quod non convenienter assignetur species peccati in Spiritum Sanctum.

8. Præterea. Aliquis non peccat ex electione, prout peccatum in Spiritum Sanctum ex electione dicitur, nisi removeantur omnia quæ à peccato retrahere possunt: (2) quolibet enim retrahente manente peccatum non eligitur. Sed omnia retrahentia à peccato non tolluntur, nisi per omnia sex enumerata. Ergo nullum istorum sex per se sumptum est species peccati in Spiritum Sanctum; sed simul accepta per modum partium integralium faciunt unum peccatum in Spiritum Sanctum.

In contrarium est quod in littera determinatur per auctoritates Sanctorum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, in corp. præc. art. peccatum in Spiritum Sanctum, proprie loquendo, secundum quod est determinatum genus peccati, consistit in actu voluntatis abficientis: id est per quod aliquis à peccato retrahitur. Contingit autem hoc dupliciter. Retrahitur enim aliquis à peccato, & operatur bonum propter se, & aliquis propter aliud. Propter aliud autem dupliciter: vel ad vitanda supplicia, vel ad consequenda præmia: & neutrum virtuosum est, qui bonum propter se operatur, & malum propter se fugit: & hæc duo tolluntur per præsumptionem, quæ privatur timorem suppliciorum; & per desperationem, quæ tollit spem præmiorum. Propter se (3) autem aliquis operatur bonum, vel fugit malum, quando movetur principaliter ex aliquo quod in ipsa actu virtutis, vel peccati est. Hoc autem est dupliciter. Aliquid enim potest considerari in actu virtutis, vel vitii, ut est

(1) Al. ut in peccatum. (2) Al. quodlibet retrahere manente. (3) Al. enim (4) Al. deest, enim, Nicolai. uno modo prout est virtus specialis, & dicit &c. & sic infra.

quoddam humanum bonum, & aliquid ut est quoddam divinum. Si ergo consideretur actus peccati ex parte eius quod est humanum in actu, sic duo possunt ibi esse, scilicet delectatio indebita, & deformitas actus; & ex utroque aliquis à peccato retrahitur: & secundum hoc sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum, scilicet obstinatio, & impenitentia: quia per obstinationem aliquis firmiter adhæret delectationi, ac si non esset incompetens; per impenitentiam autem non vitat deformitatem quæ est in actu; quæ erat ratio pœnitendi. Divinum autem in actu virtutis, quod est veritas à peccato retrahit, est duplex; unum scilicet etiam quasi dirigens, & aliud sicut inclinans, scilicet ipsa gratia per Spiritum Sanctum in Ecclesiam diffusa; contra primum est impugnatio veritatis agnita, contra secundum invidentia fraternæ gratiæ.

Quidam autem sic accipiunt distinctionem harum specierum: dicunt enim, quod peccatum in Spiritum Sanctum opponitur specialiter gratiæ pœnitentiæ, per quam fit remissio peccatorum. Ad remissionem autem peccati quædam exiguntur ex parte remittentis, quædam ex parte eius cui remittitur, & quædam ex parte eius per quod fit remissio. Ex parte remittentis concurrunt duo; scilicet misericordia, & contra hoc est desperatio; & iustitia, & contra hoc est præsumptio: ex parte eius etiam cui remittuntur, duo; scilicet propositum non peccandi, contra quod est obstinatio; & dolor de commissis, contra quod est impenitentia; ex parte eius per quod fit remissio, duo; scilicet fides Ecclesiæ, contra quam est impugnatio veritatis agnita, & gratia quæ datur in sacramentis, contra quam est invidentia fraternæ gratiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod desperatio, secundum quod est species peccati in Spiritum Sanctum, non provenit ex hoc quod aliquis neget remissionem peccatorum; sed quia remissionem peccatorum, quam fieri credit, ut liberius vacet peccatis, sponte à se abijcit, dum non vult tendere in hoc quod remissionem peccatorum consequatur.

Ad secundum dicendum, quod præsumptiosus non peccat ex hoc quod Dei misericordiam nimis magnam arbitretur, sed quia iustitiam eius contemnit; & in hoc etiam misericordiam derogat, abutens ea, ac si non esset iusta.

Ad tertium dicendum, quod sicut perseverantia dicitur dupliciter: uno (4) enim modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque ad finem: & alio modo est circumstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum usque ad mortem: ita etiam & impenitentia, secundum quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum; secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est accidens, vel circumstantia aliorum peccatorum.

Ad quartum dicendum, quod obstinatio, & impenitentia non differunt secundum præteritum, & futurum: potest enim aliquis dici impenitens qui proponit etiam de peccatis quæ faciet, non pœnitere, sed differunt secundum diversa quæ in peccato attenduntur, quæ respondent eis quasi objecta, ut in prima assignatione dictum est.

Ad quintum dicendum est, quod veritas, &

(1) Al. ut in peccatum. (2) Al. quodlibet retrahere manente. (3) Al. enim (4) Al. deest, enim, Nicolai. uno modo prout est virtus specialis, & dicit &c. & sic infra.

pietia, & huiusmodi, possunt dupliciter considerari; vel secundum propriam rationem, & sic appropriantur Filio; vel secundum quod habent rationem doni, & secundum hoc appropriantur Spiritui Sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur, ut in Libro I. dist. xviii. dictum est: & ita aliquis impugnans veritatem agnitam ex certa malitia, in Spiritum Sanctum peccat.

Ad sextum dicendum, quod invidia potest esse duplex: quædam quæ est de prosperitate, vel exaltatione hominis; & quædam quæ est de exaltatione gratiæ, sicut quod multi ad Dei gratiam, convertuntur, vel aliquid huiusmodi: & talis invidia solum est peccatum in Spiritum Sanctum; non quidem invidia fratris, sed invidia fraternæ gratiæ.

Ad septimum dicendum, quod quodlibet istorum quæ dicta sunt, potest dupliciter accidere. Uno modo ex hoc quod per se voluntas tendit in unumquodque ipsorum, ut quia aliquis non vult habere spem de futuris præmiis, aut non vult veritati notæ assentire, & sic de aliis: & hæc tantummodo sunt species peccati in Spiritum Sanctum: quia sic, per se loquendo, est desperatio, vel præsumptio: & sic de aliis, quando voluntas per se in actum desperationis labitur. Secundo potest accidere ex aliquo exteriori, ut propter defectum rationis regentis, vel propter aliquem imperium alicujus impellentis, sicut quando per infirmitatem, vel ignorantiam aguntur; & sic non sunt species peccati in Spiritum Sanctum: quia sic non est dicendum aliquis desperatus per se, sed per accidens.

Ad octavum dicendum, quod quamvis multa sint quæ à peccato retrahere possunt, secundum quæ distinctæ sunt species peccati in Spiritum Sanctum: tamen aliquis propter unum illorum tantum à peccato retrahitur, & alius propter alium: & ideo non oportet ut omnia semper concurrant ad hoc quod sit peccatum in Spiritum Sanctum.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit irremissibile.

1. 2. quæst. III. art. 16. & de malo quæst. III. art. 15. & quodl. II. cap. xv.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatum in Spiritum Sanctum non sit irremissibile. Remissio enim peccati fit per gratiam. Sed ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia: Rom. v. 20. Cum ergo peccatum in Spiritum Sanctum sit gravissimum, videtur quod maxime sit remissibile.

2. Præterea. Charitas est perfectior spe, & fides prior ea. Sed peccatum oppositum fidei, scilicet infidelitas, & oppositum charitati, scilicet odium, sunt remissibilia. Ergo & desperatio, quæ opponitur spei, est remissibilis, & eadem ratione aliæ species peccati in Spiritum Sanctum.

3. Præterea. Quatuor dicuntur in nobis, sicut pœnalitates ex peccato primi hominis, provenisse, scilicet ignorantia, infirmitas, concupiscentia, & malitia. Sed infirmitas, & ignorantia excusando peccatum, remissibile ipsum reddunt. Ergo & eadem ratione, malitia; & ita peccatum in Spiritum Sanctum, quod est ex certa malitia, remissibile erit.

4. Præterea. In hoc dicitur homo ab Angelo differre quod homo habet veritabilitatem electionis mutabilem, Angelus vero immutabilem, quia ab eo quod semel eligit, numquam removetur. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum hominis. Ergo si homo per electionem in ipsum consentiat, iterum potest hanc electionem mutare, & ab eo discedere. Sed peccatum remittitur per hoc quod ab eo receditur. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum est remissibile.

In II. Sent. Tom. II.

catum in Spiritum Sanctum est peccatum hominis. Ergo si homo per electionem in ipsum consentiat, iterum potest hanc electionem mutare, & ab eo discedere. Sed peccatum remittitur per hoc quod ab eo receditur. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum est remissibile.

5. Præterea. Irremissibile tollit potentiam remissionis. Cum ergo dicitur peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, aut negatur potentia remissionis ex parte remittentis, aut ex parte eius cui fit remissio. Non primo modo: quia potentia ipsius Dei, qui solus peccata dimittit, est infinita, ad omnium peccatorum remissionem se extendens. Similiter nec secundo modo: quia potentia ad remissionem ex parte eius cui fit remissio, est liberum arbitrium in statu viæ existens, quod etiam post peccatum in Spiritum Sanctum manet. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum nullo modo est irremissibile.

In contrarium sunt auctoritates quæ in littera adducuntur.

Præterea. Peccatum virtuti opponitur. Sed de virtute perfectissima, scilicet charitate, dicitur I. Corinth. 13. quod numquam excidit, quamvis multi eam amittant. Ergo & peccatum in Spiritum Sanctum, quod est gravissimum peccatorum, debet dici irremissibile, etsi quandoque remittatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de peccato in Spiritum Sanctum duplex est opinio, ut ex littera colligi potest.

Quidam enim accipientes impenitentiam, prout est circumstantia peccati, ut dictum est, assignant quatuor species peccati in Spiritum Sanctum, quæ scilicet supra in peccato impenitentia enumeratae sunt; & dicunt quod nulla illarum specierum habet complete rationem peccati in Spiritum Sanctum, nisi secundum quod adjungitur ei hæc circumstantia, ut scilicet usque ad mortem in desperatione, vel obstinatione perdurent; & secundum hoc dicitur peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, quia numquam remittitur, vel remitti potest: quia post mortem homo confirmatur in gratia, vel in peccato, secundum quod fuit in statu mortis suæ; ut dicitur Ecclesiastici xi. 3. Lignum: . . . in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Sed istud non videtur esse conveniens: quia secundum hoc, omne peccatum quod usque ad mortem perdurat, irremissibile est, sive sit in Patrem, sive in Filium: & ita peccatum in Spiritum Sanctum non esset alio modo irremissibile quam peccatum in Patrem, vel Filium: quod est contra textum Evangelii. Nisi forte diceretur, quod omne peccatum in Patrem, vel in Filium, est peccatum veniale: quia Gregorius dicit in IV. Dialog. (cap. xxxix.) peccata venialia etiam post hanc vitam remitti. Sed hoc est expresse falsum: quia ignorantia non sic semper excusat peccatum ut non sit damnabile, sed ut sit minus damnabile.

Et ideo alii dicunt, quod impenitentia, quæ dicitur continuum durationem peccati usque ad mortem, non est necessaria ad hoc quod sit peccatum in Spiritum Sanctum, quia etiam uno solo motu voluntatis potest homo in Spiritum Sanctum peccare, sicut & in cæteris peccatis contingit: & secundum hos assignantur species peccati in Spiritum Sanctum sex, sicut dictum est: secundum hos autem oportet dicere, quod peccatum in Spiritum Sanctum non dicitur irremissibile, quia numquam remittatur, sed